



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis  
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz  
Toletani è Societate Iesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 3. De Securitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

rissimum sanctorum honorem inducat. Amen.

De Securitate. §. III.

**S**ecuritas est virtus, qua pacatè & tranquillè magna opera virtutis aggredimur, & timorem, anxietatemque errandi, præposterè agendi, & non assequendi finem, cohibemus. Quæ, ut D. Thomas ait, pars est magnanimitatis, quia cum magnanimus ea quæ aggreditur, non sibi imparia reputet, meritò in operib. suis securus est, & de diuina misericordia sibi fauete cõfidit.

D. Thom.

2 2. qu.

129. art. 7.

Incitamenta ad securitatem sunt:  
**I.** Concurfus Dei, qui omnes res naturales in suis functionibus mirabiliter iuuat. Qui & ipsis peccatoribus in suarum quoque legum transgressionem auxilia ad operandum generalia non denegat, ne naturali ordini in rebus statuto deficiat. Quanto ergo magis suos iustos iuuabit, pro eius obsequio laborantes, & eos ab emergentibus impedimentis vinci non sinet.

**II.** Bona conscientia, quæ iustum,

K 3

Dei

Dei gloriam quærentem mirabiliter  
 roborat, & spe exitus boni confortat.  
 Tob 11.14. Vnde Iob: *Si iniquitatē, quæ est in ma-*  
 18. *nutua, abstuleris, defossus securus dor-*  
 Prou 28.1. *mies. Et Salomon: Iustus quasi leo con-*  
 Bern. lib. *fidens absque terrore erit. Et Bernard.*  
 de confid. *Nihil in hac vita securius, nihil iucun-*  
 prope fin. *dus possidetur bona conscientia. Pre-*  
*mat corpus, trahat mundus terreat dia-*  
*bolus, illa tamen semper erit secura.*

III. Sollicitudo rectè præstandi o-  
 mnia, quæ ad nos pertinent, vt in his  
 quæ agimus, prosperum finem asse-  
 quamur. Qui enim quod ad se perti-  
 net, facit, non imprudenter quod à  
 Deo iuuabitur, de infinita eius mise-  
 ricordia confidit. Et hoc insinuat Cy-  
 prianus, ita scribens: *Dei est, inquam,*  
 Cypr li 2. *Dei omne quod possumus; inde viuimus,*  
 epi. 2 ad *inde pollemus, inde sumpto & concepto*  
 Donat. *vigore, hic adhuc positi futurorum in-*  
*dicia prænoscimus. Sit tantum timor,*  
*innocentiæ custos, vt quod in mentes no-*  
*stras indulgētia cœlestis allapsu clemē-*  
*menter Dominus influxit, in animi ob-*  
*lectātis hospitio iusta operatione tenea-*  
*tur, nec accepta securitas indiligentiā*  
*pariat,*

*pariat, & vetus denuò hostis obrepit.*

Actiões Securitatis sunt: I. Promptè, & alacriter, & cum spe boni exitus, actiões præclaras & difficultatem p[ro] se ferentes aggredi.

II. Timorem, anxietatemq[ue] ex non legitima causa obortam, abijcere.

III. Quietè, & sine vlla perturbatione, dum in Domino, & non in nobis fiduciam collocamus opera bona præstare.

Postulatio Securitatis: Domine Iesu Christe, triumphator potentissime, qui omninò securus de victoria peccati & mortis existens, ante passionem tuam, acclamationem victoris libenter suscepisti, & Hierosolyam ante conflictum cum morte, tãquam mortis & peccati victor, intraisti: concede, quæsumus, nobis famulistuis, ita tuam erga nos amabilem prouidentiam, & abundantissimum auxilium agnoscere, vt simus in bello tentationum tua protectione tuti, & in magnorum operum exercitatione tuo adiutorio securi. Amen.